MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80116-12

AUTHOR: AHRENS, PAUL

TITLE: DE PLAUTI ASINARIA

PLACE: IENAE

DATE: 1907

Master Negative #

91-80116-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ahrens, Paul, 1884-
De Plavti Asinaria, dissertatio...qvam scripsit ...Pavlvs Ahrens... Ienae, Nevenhahn, 1907.
43 p. 23 cm.

Thesis. Jena.

3738

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6/27/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

DE
PLAVTI ASINARIA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

PAVLVS AHRENS
SIGEDVNENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 19. Juli 1907.

Professor Dr. Pierstorff,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS OPTVMIS

SACRVM

Ad Plauti Asinariam cum quaerens materiam, quam modestae dissertationis finibus comprendere possem, accessissem et aliquid in eis, quae huc spectant, quaestionibus profecissem, maximi momenti esse eum, qui de his rebus cum aliquo fructu disputare velit, latinas comoedias metiri aestimatione ex ratione temporis quo Plautus fabulas suas docuit artisque Plautinae petita mox intellexi. Constat enim Plautum celeriter fabulas composuisse id imprimis secutum, ut delectaret spectatores, quippe qui non essent tam curiosi, ut iterum iterumque singulas res rimantes sagacissime inquirerent in uniuscuiusque fabulae compositionem. Ille enim, ut Aristotelis utar verbis „*ἀγωνιστικός*", non „*ἀναγνωστικός*" erat poeta. Rectissime autem huc trahere videor quod idem Aristoteles dixit, etsi in re non prorsus eadem, poetae, qui fabulas ut spectarentur, non ut diligentissime perlegerentur, compositas doceret, non ita crimini dandum esse, si in fabulis invenirentur, quae inter se non arte cohaererent vel aliquotiens iterarentur [1]). Quae cum ita sint, qui scenas periisse vel de suis locis migrasse contendit ideoque quid in scenis, quae aetatem non tulerunt, actum quove modo fabula ab ipso Plauto composita sit, coniectura augurari vult, perfacile modum transgredietur nisi quod modo exposui satis respexerit. Qui autem temporis artisque Plautinae rationem habet, is nisi gravissimis de causis atque indiciis scenas interiisse non coniciet, cum singulas partes Plauti comoediarum ab ipso poeta interdum non ita arte coniunctas fuisse consideraverit. Ab altera autem parte, ne qui Scyllam vitare vult in Charybdim incidat, cavendum est, ne nimium in se admisisse putemus poetam, quem antiquae aetatis viri docti, quos Plauti fabulas nobis multo inte-

---

1) cf. Aristotelis art. rhetor. III. c. 12 atque imprimis haec . . . . „*τά τε ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν ἐν τῇ γραφικῇ ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται, ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ οὔ.*"

griores novisse certum est, adeo laudibus extulerint. Itaque exactissimo iudicio perponderandum erit, quid ipsius Plauti sit, quid ad retractatorem, ad histrionem, alios pertineat.

Iam cum haec, quae pro fundamento iacienda mihi putavi, praemonuerim, ad ipsam Asinariam fabulam accedam. Ita autem hanc dissertationem instituam, ut primum agam de ipsa fabula latina, deinde fabulae exemplari Graeco. Disputationem autem de ipsa fabula latina ita dividi velim, ut primum quaeram, num Asinaria qualis ad nos pervenit ipsius Plauti sit — hic disputandum erit, a) num in contextu lacunae inveniantur, b) num loci a retractatore mutati sint —; deinde exponam quomodo Plautus Asinariam composuerit: qua parte quaerendum erit, a) num Plautus in Asinaria contaminatione usus sit, b) num in componenda fabula re vera tam neglegenter quam nonnullis viris doctis visum est se gesserit.

De Asinaria fabula.

§ 1.

Incipiendum videtur hac in paragrapho a disputatione, quae instituatur de maioribus lacunis, quas in contextu Asinariae detexisse viri docti sibi visi sunt. De minoribus enim lacunis deficientibus quibusdam versibus vel uno tantum versu sub fine huius partis paucis agendum erit.

Primus qui maiores partes Asinariae intercidisse contendit A. Spengelius [1]) non modo scenam II 4 integram esse negavit, cum desideretur locus, quo Demaenetus in scenam prodierit atque fraudis particeps factus sit (id autem concludit ex vv. 580—584), sed etiam aliam post hanc intercidisse putat scenam. Age vero audiamus ipsius de hac re verba: .... „im Zusammenhang damit muß noch anderes ausgefallen sein, namentlich mußte Argyrippus, welcher I 3. 95. nach dem Forum gegangen war, wieder zurückkehren und in einer wahrscheinlich lyrischen jedenfalls nicht Senarscene vor den Zuschauern seine Verzweiflung aussprechen, weil er dort kein Geld aufgetrieben. Der Ausweg, seine Rückkehr könne in einen Zwischenakt fallen,

1) „Die Akteinteilung der Komödien des Plautus". München 1877, p. 47.

wäre irrig und gegen alles Herkommen. Denn da die Bühne offen ist, geschieht das Eintreten in ein Haus, dessen Türe sichtbar ist, immer nur innerhalb des Stückes vor den Augen der Zuschauer. III 3. 1. Kommt aber Argyrippus bereits aus dem Hause der Philaenium". Ea autem quam Spengelius statuit lege poetam non semper usum esse iam inde cognosci potest, quod Demaenetum clam per angiportum aedes Cleaeretae intrasse e v. 742 apparet. Spengelii sententiae etiam illud obstat, id quod rectissime Goetzius et Loewius [1]) contenderunt, quod v. 329 Argyrippum versari iam in aedibus Cleaeretae docemur. Neque enim mea quidem sententia Rauterbergius [2]) recte coniecit illud *hic est intus* (v. 329) ad Demaeneti aedes referendum esse. Nam praeterquam quod vix perspici potest, quid Argyrippus domi patris velit, illud observandum videtur, nisi Argyrippum intra primum et secundum actum invita Cleaereta meretricis domum intrasse statuimus, cur Philaenium quod Argyrippum ad se admittere non iam desierit, initio tertii actus tam vehementer a matre vituperetur, omnino intellegi non posse [3]). Iam actum est de Spengelii sententia. De alia autem, quam idem tetigit, h. e. num locus interciderit, qua Demaenetus in scenam prodierit fraudisque particeps factus sit, uberius disputandum est. Goetzius et Loewius talem qualem Spengelius vult scenam intercidisse negant cum dicunt [4]): „contrario statuimus, si talis scena qualem ille vult exstitisset, numquam talia [5]) dicentes facturum fuisse poetam". Hanc autem sententiam Ribbeckius [6]) ita impugnat, ut re vera talem scenam intra v. 495—496 exstitisse contendat. Neque vero pecuniam coram spectatoribus traditam esse, cum Libanus, qui semper adfuisset, v. 579 ex Leonida quaereret, num viginti minas nunc haberet. Itaque Ribbeckius coniecit post v. 495 Demaenetum a Leonida, quid sibi faciendum esset, iam dudum (cf. v. 367 sqq.) edoctum quasi deum ex machina

1) Cf. ed. maior. praef. p. XXI.
2) Quaestionum Plautinarum (Wilhelmshaven 1883) p. 2.
3) Cf. quae infra cum de contaminatione disputabitur de ratione, quae intercedat inter v. 329 et initium actus tertii fusius exponam (p. 29 sqq.).
4) Praef. p. XXI.
5) Cf. 580—584.
6) Mus. Rhen. 37 (1882), p. 56/57.

in scenam prodiisse Leonidamque re vera atriensem esse mercatori dixisse. Tum mercatorem non iam recusasse, quin pecuniam traderet, atque Leonidam adhortatum esse, ut ad pecuniam tradendam secum Demaeneti aedes intraret. Quae v. 496 sqq. exstarent, mercatorem et Leonidam abeuntes inter se locutos esse. Qua in re sententiam Ribbeckium fefellisse Langenus [1]) probabile reddidit, cum ad hanc coniecturam quadrare neget, quae abeuntes mercator et Leonida inter se loquantur. Quod mea quidem sententia recte monuit: nam cum mercator pecuniam tradere velit, vix intellegi potest, cur Leonida, quanta ipse fide dignus sit, exemplis illustrare non desistat [2]). Quae cum ita sint, Langenus post v. 495 nonnullos versus intercidisse putat, quibus mercator Leonidae ita obsecundet, ut ille iure „iam nunc secunda sibi fecisse" mercatorem dicere possit. Sed ne hac quidem coniectura opus esse me quidem iudice recte exposuit Fridericus Leo [3]), qui ad v. 496 haec adnotat: „excusationem quae videri possit arripit Leonida, ut ipse se purget et modestum faciat, multis verbis ad quae paucissima alter. sic exeunt". — Neque tamen ita simul illa quaestio, quae multo maioris momenti est, ad finem est perducta, num omnino eius quod Spengelius exposuit argumenti scena perierit. Qua in re facere non possum, quin talem scenam exstitisse negem. Ad quam sententiam proferendam maxime me commovit haec deliberatio. Cum iam secunda scena secundi actus fusius expositum sit, quomodo servi mercatorem decipere studeant, atque iam a Leonida Demaenetum servorum consilii conscium factum esse spectatoribus notum sit, qui servorum verba triumphantia atque imprimis v. 580—84 audit, iam satis superque quomodo res evenerit scit. Accedit aliud indicium, unde eluceat scenam periise iniuria coniectatum esse. Illud enim constat, si talis omnino scena a Plauto composita esset, sub fine scenae II. 4. eam ponendam fuisse. Iam vero, id quod

1) 'Plaut. Studien' (Berolini 1886) p. 103.
2) Cf. v. 499 *etiam hodie Periphanes* e. q. s.: v. 501 *atque etiam tu . . . . crederes* e. q. s.
Cf. etiam Schenkelii (Ztschr. f. d. österr. Gymnas. 33, 1882, p. 41) de his versibus sententiam.
3) Cf. „Plauti comoediae", Berolini 1895 vol. I p. 72. Similiter etiam Langrehrius 'Plautina' (Friedland i. M. 1894) p. 8/9 de hoc loco iudicat.

uce clarius est, si Leonida Demaenetum exspectaret, eius multum interesset mercatorem retineri. Contra autem mercatorem adhortatur, ut secum ad forum eat (v. 486) atque brevi post *sequere hac ergo* (v. 490) dicit. His igitur de causis poetam talem qualem Spengelius desiderat scenam composuisse negaverim atque v. 580—84 satis de ea re referri contenderim.

§ 2.

Multo maiores atque etiam plures quam Spengelius lacunas indagasse sibi visus est Schenkelius, qui in censura quam de Goetzii et Loewii scripsit editione [1]) hanc fere Plauti fuisse rationem disponendi contendit (liceat mihi ipsis Schenkelii verbis uti):

„I. Akt.

1. Scene Demaenetus und Libanus.
2. „ Argyrippus (Canticum).
3. „ Argyrippus und Cleaereta.
4. „ Cleaereta und Philaenium. = III. 1.
(Diese Scene muß hierher versetzt werden.)

[5. „ Diabolus und Cleaereta. Sie besprechen sich über die Modalitäten, unter denen man sich Philaeniums Besitz sichern kann. Der vorsichtige Diabolus zieht es vor, erst einen Contract aufzusetzen. Beide gehen fort. Auch an eine Scene zwischen dem Parasiten und der Kupplerin läßt sich denken.] [3]).

II. Akt.

1. Scene Libanus allein.

[2. „ Argyrippus, welcher der Kupplerin auf dem Forum oder sonst irgendwo begegnet ist, erscheint (Canticum?) und schließt sich ins Haus ein, wobei er von Libanus belauscht wird.]

Die übrigen Scenen, wie im erhaltenen Exemplare.

1) L. s. s. p. 43.
2) P. 41 initium fabulae intercidisse Schenkelius contenderat. De hac re infra disputabo; cf. p. 10.
3) Quas intercidisse putat scenas, his uncis [ ] circumclusit.

III. Akt.

1. Scene Cleaereta allein (Canticum); sie spricht ihre Besorgnis aus, daß während ihrer Abwesenheit irgend etwas vorgefallen sein könnte und geht ins Haus.
2. „ Libanus und Leonida.

Der übrige Teil des Stückes bedarf keiner weiteren Veränderung".

Ad haec imprimis illud dicendum est, quod iam in prooemio huius dissertationis necessarium esse monui, Schenkelium Plauti comoediam non recta metiri aestimatione. Accedunt autem alia argumenta, e quibus tot lacunas in contextu Asinariae qui nunc est exstare vix verisimile esse elucet.

Initio igitur fabulae Schenkelius partem intercidisse putat, qua Demaenetus multis iisque perplexis verbis servum sevocarit, ut secreto cum eo de comparanda pecunia ageret. Servum autem, quid dominus in animo haberet cum nesciret, non modo exspectatione, sed etiam timore percitum id potissimum egisse, ut sciret, numquid Demaenetus de se constituisset, ad quae versu demum 45 dominum nunc de suis rebus consilium habendum esse dicere. Quod non recte disputasse Schenkelium mihi quidem certum videtur, contra quem initium fabulae intercidisse nego. Optime enim quae ad nos pervenit scena in fabulae initio locum habet, cum statim nos medias in res ducat. Initia fabularum nusquam ita comparata sunt, ut quid ante initium actum sit fusius exponatur: immo notissimum est etiam his temporibus talia, quae argumento praecedunt, ex ipsa postea fabula concludenda esse. Neque vero Plautus hoc neglexit. Nam v. 362 spectatores ex servi verbis quomodo res sese habuerint audiunt:

Nam me hodie senex seduxit solum sorsum ab aedibus.

Quae cum ita sint non est cur scenam intercidisse nobis persuadeamus[1]). — Etiam scenam III. 1. post I. 3. ponendam esse Schenkelius iniuria contendit, cum fieri non possit, ut scena alio loco melius quam quo nunc exstat in contextum

1) Adde quod iam Gellii aetate v. *sicut .... superstites* huius fabulae fuisse primos constat; cf. quae Goetzius et Loewius adnot. ad v. 16. 17.

quadret. Cf. de hac re quae postea de compositione Asinariae exponam p. 32.

Iam transeamus ad illam quaestionem quam idem Schenkelius primus tetigit, num scenam, qua diabolus et Cleaereta in scenam prodeant atque inter se colloquantur, quo pretio soluto Diabolus per totum annum Philaenio frui possit, intercidisse statuendum sit. Quamquam non sine aliqua probabilitatis specie dici posse concedo Diabolum, cuius ante III. 3. (v. 634) omnino mentio non fiat quique IV. 1. syngraphum adferat, de quo lena nisi cum Argyrippo verba non fecit, primo actu in scenam prodire atque cum lena colloqui necesse esse, tamen re iterum iterumque pensitata facere non possum, quin talem scenam exstitisse negem. Etenim primum iam I. 3. lena quamquam non disertis verbis Diaboli mentionem facit et aemulum Argyrippi adesse obscure dicit[1]). Deinde alio quoque loco lenam fusius de Diabolo, Argyrippi aemulo, verba fecisse argumentis probari posse puto. Quicunque enim diligentius inquirit in finem primae tertii actus scenae, eum non effugiet omnino cognosci non posse, quidnam Cleaereta, cum filiam domum abire iusserit filiaque domum abierit (v. 544), faciat. Iam huius scenae finis valde mihi in suspicione est, num integer ad nos pervenerit. Frequentissimo enim apud Plautum usu fit, ut persona sola in scena relicta paucis verbis explicet, quid in animo habeat[2]). Quid igitur mirum, si post v. 544 nonnullos versus intercidisse putamus, quibus quae hoc loco desideramus lenam dicere conicimus, scilicet haec: „nunc cum Argyrippo, qui rursus iniussu meo aedes nostras intravit (cf. v. 329[3]), ultimum colloquar eique ostendam Diabolum hoc ipso die viginti minas allaturum esse, ut nisi ipse statim quam postulavi pecuniam adferet nulla recuperandae Philaenii spem relicta sit"? Tum et lena domum abit domique eius quod modo exposui argumenti colloquium habet. Nam nisi haec acta esse

1) Cf. v. 231 . . . *si alius prius attulerit, tu vale.*

2) Cf. ut ex tribus, quas forte evolvi fabulis exempla afferam, Asinariae vv. 118—126, 243—248; Menaechmorum vv. 698—701, 957—965, 1039—1049; Mercatoris vv. 328—334, 661—666.

3) Inter primum enim et secundum actum lenam exiisse, Argyrippum autem rediisse et a Philaenio receptum esse coniecimus. Iam luce clarius est, cur lena III. 1 adeo in filiam invehatur: cf. etiam infra p. 32.

statueremus, unde Argyrippus, qui antea omnino nescire videtur sibi aemulum esse, v. 631 sqq. ipsum nomen aemuli sui[1]) Diabolumque hoc ipso die (cf. v. 634 ... *hodie* ...) viginti minas daturum esse neque tamen etiam dedisse (v. 638) sciret? Qui praeterea v. 594:

Mater supremum mihi tua dixit, domum ire iussit

ad finem primi actus quadraret, nisi Argyrippus, cum lenae ostendisset se in foro pecuniam sibi comparare non potuisse sibique nunc omnino desperandum esse, domum ire iussus esset?

Quae cum ita sint, luce clarius esse mihi videtur post v. 544 lacunam esse atque inter III. 1. et III. 3. lenam cum Argyrippo, ut sub fine III. 1. eis qui aetatem non tulerunt versibus dixerat, collocutam esse. Restat, ut quaeramus utrum hoc quoque colloquium ipsum interciderit an poeta satis duxerit ita rem sese habuisse eis quae modo exposuimus indiciis demonstrare. Quod ad hanc quaestionem spectat, tale colloquium numquam exstitisse puto: nam si exstitisset, certe haud ita dissimile fuisset tertiae primi actus scenae. Praeterea si postea spectatores, quid factum sit, comperiunt, non est, cur haec coram spectatoribus fieri poscamus.

Iam quaesiverit quispiam, quomodo factum sit, ut post v. 544 nonnulli versus interciderent: qua de re haud scio an non difficile sit coniecturam verisimilem proferre. Cum enim librarius vel retractator post III. 1. colloquium lenae et Argyrippi nusquam exstare intellegeret, perfacile fieri potuit, ut etiam versus, quibus illud colloquium indicaretur, omnino omitteret. Sed haec hactenus. Itaque alium quoque locum invenimus, ubi de Diabolo, Argyrippi aemulo, sermo fuit, neque esse censeo, cur ante quartum actum ipsum Diabolum in scenam prodire poscamus. Quod denique ad syngraphum attinet, quis est quin scenam IV. 1. imprimis ut spectatores delectarentur[2]) compositam esse concedat? Accedit quod lenam etiam cum Diabolo de syngrapho

1) Non recta quae Langrehrius l. s. s. p. 6 attulit aemuli nomen Argyrippum ex Philaenio audivisse, immo quo magis dolor adulescenti exardescat, Cleaereta aemulum eumque divitissimum iam adesse ei dicit.

2) Adde quod, cum Diabolus in scenam prodeat, spectatores iam sciunt Argyrippum Diabolum praevenisse. Eo magis delectantur syngraphum adferri audientes.

verba fecisse verisimillimum est. — Etiam in secundo actu nullo modo cum Schenkelio, qui scenam, qua Argyrippus rursus Cleaeretae aedes intret, intercidisse contendit, facere possum. Nam cum v. 329 eum domi Cleaeretae versari doceamur, non curamus, quomodo huc pervenerit. Praeterea iam supra[1]) exposui eum inter primum et secundum actum ad Philaenium rediisse verisimillimum esse.

Sententiam igitur, quam Schenkelius de lacunis attulit falsam esse demonstravi atque praeter paucos quosdam versus, quos post v. 544 intercidisse probabile reddidi, maiores lacunas in contextu Asinariae esse plane reieci.

§ 3.

Neque tamen Spengelii Schenkeliique sententiis refutatis haec de lacunis disputatio tota ad finem perducta est, sed hoc loco diligentius agendum videtur de nova dissertatiuncula, qua magis quam adhuc creditum est contextum Asinariae perturbatum esse fusius exponitur. Havetus enim, vir doctus Franco-Gallicus, de Plauto optime meritus, nuperrime in opusculo, quod inscripsit „Études sur Plaute, Asinaria. I. la seconde et la troisième scènes et la composition générale“ [2]), scenas I. 2. 3. ad Diabolum pertinere atque nonnullas Asinariae partes intercidisse contendit. Iam examinemus argumenta, quibus nixus ad hanc coniecturam delapsus sit. Ac primum quidem quomodo fieri possit, ut nomen Argyrippi pro Diabolo ponatur, ita fere Havetus exponit: ante secundam primi actus scenam personarum inscriptionem, ut ita dicam, hac forma *Argyrippus adolescens*, ante sequentem autem scenam *lena Cleaereta, adolescens Argyrippus* (inverso igitur ordine) exstare. Inde primo obtutu aliquid turbatum esse apparere. Sin reputemus persaepe omnino nomina omissa esse (nam in Asinaria non modo mercatoris, sed etiam parasiti nomen ignoramus), luce clarius esse nomina librariis minoris momenti fuisse. Quid igitur mirum, quod per errorem scenis I. 2. 3. falsum nomen antepositum sit? Quod ad hanc argumentandi rationem attinet, certe in univer-

1) Cf. p. 7.

2) Revue de Philologie 1905, p. 94—113.

sum concedendum est viri docti sagacitatem recte observasse ita errores oriri potuisse. Neque vero in hac quaestione illud maximum est, num Havetus recte quomodo rubicator in hunc errorem inciderit explicuerit. Illud enim constat tales errores in codicibus, quin etiam in ipsius Asinariae quibusdam codicibus, inveniri. Velut ante secundam quarti actus scenam codices B et E falsissime Argyrippi nomen pro Diaboli exhibent [1]. — Sed iam videamus quibus argumentis quae re vera hoc nomine digna sint Havetus sententiam suam probare studeat. Ac primum quidem vir doctus in eo haeret, quod scenas I. 2. 3. Argyrippo si daremus, nullo modo intellegi posset, Diabolus cur syngraphum, cuius in sermone adulescentis lenaeque (cf. v. 238) mentio facta esset, adferret. Multo verisimilius esse eum, qui primus de syngrapho faciendo locutus esset, syngraphum adferre. Sed de hac re non est cur denuo disseram, cum iam supra [2] de eadem sententia a Schenkelio prolata disputans quomodo haec turba sanari possit ostenderim.

Quod ad secundum Haveti argumentum attinet, fieri non potest, quin viro docto concedamus accepta illa coniectura difficultatem inter v. 89 et v. 229 exstantem optime e medio tolli. Sed etiam hic scrupulus alio modo removeri posse mihi videtur: versu igitur 89 Demaenetus servo haec dicit:

Viginti iam usust filio argenti minis.

V. autem 229 sq. Argyrippus, qui ipse viginti minis sibi opus esse patri dixit (cf. v. 74/75), omnino nescire videtur quid sibi dandum sit, cum haec dicat:

Mane, mane, audi: dic, quid me aequom censes pro illa tibi dare
Annum hunc necum quiquam alio sit?

ad quae Cleaerata:

tune? [3]) *viginti minas:*
Atque ea lege e. q. s.

1) Cf. ed. Goetzii et Loewii p. 94 adn. Havetum hoc fugisse videtur.
2) Cf. p. 11 sq.
3) *„tene?“* ex corr. Camerarii Leo in contextum recepit, quo non opus.

Post Muretum, qui primus in hac re haesit, alii aliter hanc difficultatem removere conati sunt. Velut Rauterbergius [1]) expungit v. 229—31, ut qui ab interpolatore inserti sint, Goetzius et Loewius [2]), quibus nuper assensus est Leo [3]), de contaminatione cogitant, ita ut scenae I. 2. 3. ex alia fabula sumptae sint. Alii viri docti interpretatione succurrunt. Velut Ribbeckius [4]) iisdem versibus adulescentem putat ex lena quaerere, num aliquid de pretio remittere nolit.

Quam interpretandi rationem in universum probans Langenus [5]) id quod Ribbeckius coniecisset re vera in exemplo Graeco exstitisse contendit, Plautum autem in Graecis verbis transferendis aliquid peccasse videri. — Schenkelius [6]) quoque hanc turbam interpretatione sanari posse putat, cum persuasum habeat adulescentem his verbis id agere, ut lenam ad pretium minuendum commoveat. Fortasse adulescentem pecuniae nulla alia causa mentionem facere nisi ut omnino aliquid dicat atque lenam impediat, ne abeat. Iam vides quomodo hae turbae removeri possint, cum viri docti quae magnam veritatis spem prae se ferant interpretandi rationes exposuerint. Ego quoque interpretatione his versibus succurri posse contendo atque ita fere scrupulum removeri posse existimo. Omnis enim difficultas e medio tolli mihi videtur, si ante initium huius fabulae haec accidisse statuimus. Iam dudum Argyrippo cum Cleaereta viginti minis solutis Philaenium meretricem ipsi

1) L. s. s. p. 1 nimis violenter, cum versus tam bene in contextum quadrent, ut vix interpolationis suspicionem moveant.
2) L. s. s. p. XXIII sq. de contaminatione infra disputabo: cf. p. 29 sqq.
3) Cf. ed. a. 1895 adn. ad v. 127.
4) L. s. s. p. 55 . . . . „nun so will er eben, wie es beim Handel geschieht, das letzte Wort der Cleaereta hören und zugleich, wie Liebhaber gern reicher scheinen, als sie sind, damit andeuten, daß seine Hülfsmittel noch nicht erschöpft seien: vgl. v. 233 f. . .“
5) L. s. s. p. 98 . . . . „eine solche Frage wird aber in eine ganz andere Form gekleidet. Ich vermute, daß in dem Original die Frage allerdings in dem Sinne gestellt wurde, welchen Ribbeck hineinlegt, daß der römische Dichter jedoch den ursprünglichen Sinn etwas verwischte und so unbewußt in den Widerspruch verfiel“.
6) L. s. s. p. 42 . . . „es ist klar, daß Argyrippus die ihm wohlbekannte Summe nur fragt, in der Hoffnung einen billigeren Preis (aequom) zu erzielen, vielleicht auch um überhaupt etwas zu reden und die lena so am Abbrechen des Gespräches zu hindern“.

neque cuiquam alii morem gesturam esse convenerat. Adhuc semper quod cum ea egit dedit: cf. v. 170:

Dedi equidem quod mecum egisti.

Nunc autem cum non iam habeat, quod lenae det, haec cum alio amatore de puella tractat atque hunc ipsum diem ultimum esse dicit, quo Argyrippus, nisi statim afferat viginti mînas, meretrice fruatur. Argyrippus, *quia non suppetunt dictis data*[1]), patrem adire coactus est, qui, ut est magna in filium benevolentia[2]), se ei non defuturum esse pollicetur. Cur autem filius v. 230 denuo, quanta pecunia sibi opus sit, e lena quaerat, luce clarius fit, si diligenter in contextum, quo ea de quibus agimus verba facit Argyrippus, inquirimus. Cleaereta enim, cum sibi non esse, quod det, fateatur, iam eum abire iubet atque ipsa abire vult. Tum ut eam retineat (cf. *mane, mane, audi* . . . v. 229: nam si post haec verba abiret, omnino Argyrippo desperandum esset) adulescens, quasi non adeo esset exhaustus, pecuniae rursus mentionem facit. Neque haec spes eum fefellit: Cleaereta, ut est pecuniae cupidissima, ubi vocem pecuniae audivit, iam abitura sermonem suscipit Argyrippusque dilationem impetrat. Si ita rem explicamus, nulla in ea est difficultas neque habemus cur gravem poetae tribuamus errorem.

Accedunt alia argumenta, e quibus Havetus scenas I. 2. 3. ad Diabolum pertinere concludit. Quod enim adulescens v. 135 se pecuniam, quam lenae dedisset, *in mari* (i. e. mercatura) sibi comparasse dicat, minime ad Argyrippum, optime ad Diabolum quadrare contendit. Nusquam enim dici Argyrippum ipsum pecuniam sibi fecisse, patrem, filii adiutorem, et ipsum nil habere, matrem fere nihil filio dare[3]). Contra non esse cur Diabolum si non utroque parente orbatum, at certe sui iuris esse statuamus neque dubium esse, quin Diabolus mercator fuerit. Neque vero illud silentio praetermittendum esse ipsam lenam Argyrippum fere nihil dedisse dicere[4]). Equidem contra quaeram cur Argyrippum in mari rem familiarem auxisse verisimile non sit. Adde quod adulescentem nihil fere dedisse a lena

1) Cf. v. 56.
2) Cf. v. 63—67.
3) Cf. v. 78 . . . *illum mater arte contenteque habet.*
4) Cf. v. 524 . . . *quid dedit* . . e. q. s.

exaggeranter dictum esse facile cognosci potest. Nam adulescentem pro amica aliquid dedisse non modo ex ipsis lenarum moribus sequitur, sed etiam ex colloquio Libani cum Demaeneto habito (I. 1.) apparet. Quid enim hoc sibi vellet, Demaenetum scire Leonidam Libanumque Argyrippi adiutores esse (v. 56/57), nisi ex domo Demaeneti persaepe aliquid per servolos ad lenam deportatum esse poneremus, praesertim cum uxorem Demaeneti iam saepissime defraudatam esse ipse servus Libanus libere profiteatur?[1]) Praeterea non est cur huic leviusculae rei tantum tribuamus, cum iam initio huius dissertationis Plautum interdum minima non curasse exposuerim.

Etiam quae I. 2. 3. adulescens loquitur, minime naturae Argyrippi consentanea Haveto[2]) videntur esse. Ibi adulescens lenam opprobriis obruit, lenae meretricisque nomina ad tresviros deferre, fame eas vincere vult. Neque vero adulescentem fugit meretricem omnino innocentem esse, cum matris imperio pareat (cf. v. 146 sq.). Omne veri amoris verbum Havetus omnino desiderat[3]). Haec omnia pessime cum Argyrippi moribus et natura congruere viro docto videntur, cum Argyrippus ab ipsa lena „largus lacrumarum" appelletur (v. 533), qui re vera in ipsa scena lacrimas fundat (v. 620), numquam de lena iratus loquatur[4]). Numquam etiam fieri posse, ut Argyrippus, qui ex intimo corde Philaenium amet seque a meretrice amari sciat, adeo in amicam invehatur. Sed ne haec quidem Haveti argumenta probare possum, cum irae ac maerori, quibus Argyrippus, cum ab amica exclusus sit, commotus est, parum tribuere mihi quidem videatur. Mea enim sententia, qui sibi plane desperandum esse sciat, a vita se abiudicet[5]), ubi primum amica sibi carendum esse compererit, eum ira ac maerore fere

1) cf. v. 94/95

. . . *cui ipsi nihil est in manu*
Nisi quid tu porro uxorem defraudaveris.

atque etiam v. 888/89

. . *Ille ecastor suppilabat me* . . e. q. s.

2) L. s. s. p. 96.
3) Cf. l. s. s. . . mais nulle part il ne dit un mot qui sente soit la tendresse soit l'attendrissement.
4) Cf. l. s. s. „rien de tout cela n'est conforme au caractère d'Argyrippe, que la lena appelle un pleurard (533) qui pleure en effet sur la scène (620), qui parle de la lena avec désespoir, mais sans colère" (594, 632).
5) Cf. II 3 atque maxime v. 607 sqq.

amentem se praestare, atque etiam amicae innocenti non parcere nihil in se habet offensionis. Praeterea quod adulescens postea Philaenio non iam irascatur eamque innocentem esse profiteatur, meo iudicio magis Argyrippi, utpote qui Philaenium ex animo vereque diligat, quam Diaboli naturae, quem numquam nisi sine amore Philaenium se sibi dedisse scire Havetus[1]) quoque concedit, consentaneum videtur esse. Neque illud adeo premendum est, quod lena Argyrippum *largum lacrumarum* nominat, cum illam his verbis in largitiones Argyrippi iocari manifestum sit. Iam eorum quae Havetus attulit argumentorum potiora refutasse mihi videor.

Etiam ille Haveti scrupulus[2]), quod adulescentem, qui sub fine primi actus in forum abierit, sequenti actu iam ad Philaenium rediisse vix verisimile sit, ut iam supra[3]) exposuimus, removeri potest, si intra primum et secundum actum Cleaeretam exiisse adulescentemque a meretrice domum receptum esse statuimus.

Quamquam Havetus non sine aliqua veritatis specie dixisse videtur adulescentem, qui sub fine primi actus in forum iturus ibique pecuniam comparaturus esset, Argyrippum non esse[4]) iam ex ea re cognosci posse, quod, cum Argyrippum patrem propter pecuniam adiisse apertum sit, quibus de causis statim ad forum contenderet vix intellegi posset, nisi a adulescens statim ad forum contenderet vix intellegi posset, nisi a patre nihil sibi sperandum esse dixisset: sed tamen ne in his quidem viro docto assentiri possum. Ribbeckius[5]) enim, cui astipulatus est Langenus[6]), cum hac in re Goetzius et Loewius[7]) ansam qua fabulam contaminatam esse contenderent nacti esse sibi visi essent, patrem, cum nihil fere in manu haberet[8]), dudum quam difficile foret, ut tantum pecuniae compararet, filio dixisse itaque adulescentem vix quicquam

1) L. s. s. p. 96 .. „c'est celui à qui elle ne s'est jamais donnée que sans amour . . .“
2) L. s. s. p. 96.
3) Cf. huius dissertationis p. 7. Praeterea de hac re infra de contaminatione disputans uberius agam p. 32 sqq.
4) L. s. s. p. 96.
5) Mus. Rh. 37, p. 55.
6) Studia Plautin p. 100.
7) Praef. ed. mai. (a. 1881) p. XXIV.
8) Cf. v. 90 sqq.

a patre sperare posse magno iure exposuit. Rectissime autem Langenus[1]), quod adulescens hoc non dicat, poetae crimini dandum esse monuit. Itaque ego hoc neglegentiae cuidam poetae tribuere malim quam Haveti probare sententiam.

Ac ne in ea quidem re, quod v. 533 lena non dicit se „iterum“ adulescentem eiecturam esse, cum Haveto[2]) haereo. Praeterea, si rem cum pulvisculo exhaurire voles, ex versibus 149 sqq.[3]) cognosci potest ante I. 2. adulescenti non ab ipsa lena, sed fortasse ab ancilla seu servo aditum non datum esse. Neque vero v. 594 Argyrippum se „iterum“ eiectum esse dicere exspecto, cum ex ipsis adulescentis verbis cognosci possit, quod modo lena eum domum ire iusserit multo maioris momenti esse quam cum ante I. 2. aditum ei non dedisset.

Illud quoque Haveto iniuria offensioni est v. 632 sqq. Argyrippum se propter viginti minas, quas Diabolus promisisset, e domo eiectum esse[4]) dicere, cum post v. 544 nonnullos versus, quibus lena Diabolum viginti minas allaturum esse se Argyrippo dicturam esse exposuerit, excidisse statuerimus itaque adulescenti, qui nullam iam pecuniae spem habet, plane desperandum esse[5]).

De his quoque Haveti verbis valde dubito: „enfin au vers 594 (lequel faisait probablement partie du quatrième acte, tout au moins du troisième) l'esclave d'Argyrippe découvre que son maître a été mis à la porte; il devrait en avoir été informé, si la chose avait été fait avant la seconde scène de la comédie[6])“. Ac primum quidem certe typothetae mendo debetur quod dixit servum v. 594 Argyrippum e domo lenae eiectum esse intellegere, quippe quae verba Libani v. 596 exstent. Quod Libanus omnino

1) L. s. s. p. 100: „das hätte der Dichter aber andeuten müssen“.
2) L. s. s. p. 96 .. là, la lena dit à sa fille qu'elle le mettra à la porte s'il n'apporte pas d'argent, mais elle ne dit pas qu'elle ait à le chasser une seconde fois ..
3) ... *At scelesta viden ut ne id quidem me dignum* (Leo ante *dignum* leviter interpungit. Non recte; cf. Hebdom. phil. Berol. a. 1896, p. 849), *esse existumat quem adeat, quem conloquatur quoique irato supplicet? atque eccam inlecebra exit tandem* e. q. s.
4) Si quidem illa Haveti ... „plus loin encore (632 ss.) Argyrippe parle comme s'il n'était chassé qu'à cause des vingt mines promises par Diabolum“ I. s. s. p. 96, recte accipio.
5) Cf. huius dissert. p. 18 sqq.
6) L. s. s. p. 96/97.

nescit Argyrippum iam antea foras exclusum esse, id mea quidem sententia scrupulum non movet. Unde enim haec servo nota esse concludendum est? Illud constat, cum Demaenetus servum adhortaretur (I. 1.), ut viginti minas compararet, Argyrippum nondum exclusum fuisse. Postea autem servum, praeterquam quod dominum clam Cleaeretae aedes intrantem viderit[1]), in adulescentem incidisse vix verisimile est, cum totus in defraudando mercatore occupatus fuerit.

Praeterea non neglegendum est haec servi verba delectationi spectatorum destinata esse: nam cum Argyrippus Philaeniumque vehementissimo dolore perciti exeant atque de suis rebus plane desperent, vix quemquam effugiet Argyrippum foras exclusum esse, praesertim cum duobus versibus ante ipse dicat: (v. 594):

Mater supremam mihi tua dixit: domum ire iussit.

Nec quicquam offensionis in se habere mihi quidem illud videtur, quod v. 585 sqq. Argyrippus una cum Philaenio e domo lenae exeunt [2]), cum meretricem etiam matre invita, ut amico valediceret, exiisse verisimillimum sit.

Denique Havetus [3]) iniuria expectat lenam III. 1. filiae dicere Argyrippum ad forum iisse et, si pecuniam ibi adeptus esset, Philaenium Argyrippi per annum fore. Hac in re facere non possum, quin Haveto obiciam quod, quo loco haec adulescentis verba dicta sint, non satis reputaverit. Nam Argyrippum ut pecuniam in foro mutuam sumeret abiisse lena omnino nescit, cum quae Argyrippus v. 244—248 dicit non iam audiverit. Quam stulte enim amator seu Argyrippus seu Diabolus ageret, si coram lena sibi, nisi argentum adipisceretur, intereundum esse profiteretur, praesertim cum paulo antea (v. 233) sibi reliquum esse quod lenae daret dixisset!

Iam quod ad singula Haveti argumenta pertinet, demonstrasse mihi videor de plurimis valde dubitari posse. Ac ne reliqua quidem tantam vim habent, quibus apud poetam, quem celeriter fabulas suas composuisse plane patet, adeo offendamur.

1) Cf. v. 329.
2) Cf. l. s. s. p. 97.
3) L. s. s. p. 97.

Itaque qui Plautum interdum neglegentiae cuiusdam specimina in se admisisse haud assis facit, vix ex eis quae Havetus attulit argumentis scenas I 2. 3. Diabolo adscribendas esse coniciet. Haec omnia si mente agito, facere non possum quin dubitem Haveti coniecturam meam facere. Accedunt aliae deliberationes, quibus illa sententia valde in suspicionem vocatur. — Primum enim ipsam comoediae compositionem cum Haveti coniectura quadrare nego. Nam quam pessime fabula composita esset, si non unus, sed duo lamentarentur adulescentes, quod non haberent, quod pro amica darent! Quam stulte praeterea Cleaereta ageret, si utrumque amatorem e domo eiceret, antequam pro certo haberet ab altero denique pretium sibi dari [1]). Praeterea ad eum quem Havetus voluit rerum statum minime quadrare mihi quidem videtur quod Argyrippus iam tum omni spe deiectus est, cum audit Diabolum, qui modo vix habebat, quod daret, pecuniam daturum esse dixisse [2]). Immo cum Argyrippus statim de suis rebus desperet, inde demonstrari mihi quidem videtur Diabolum divitissimum esse. Adde quod Diabolum parasitus sequitur, quem, si ille inopia pecuniae premeretur, non adeo domino consulere e re est.

Ex eis igitur quae hucusque disputavi elucet eum, qui scenas I. 2. 3. Diabolo adscribit, permagnas creare difficultates. Huc accedit quod in his ipsis scenis inveniuntur, quae minime cum Diaboli moribus ac natura congruant. Exempli gratia adulescens, qui v. 205 sqq. quam feliciter cum Philaenio vixerit tam diserte et eloquenter describit, non idem esse mihi quidem videtur, qui postea mercatoris callido more sicce de conficiendo syngrapho cum parasito agit. Etiam verba *interii, si non invenio ego illas viginti minas* e. q. s. (v. 243 sqq.) male ad Diabolum, optime autem ad Argyrippum quadrant, quippe qui adeo amore puellae captus sit, ut, cum postea omni spe diutius cum Philaenio vivendi deiectus sit, a vita se plane abiudicet [3]). — Neque vero

1) Mea quidem sententia qui I, 2 in scenam prodit adulescens, cum v. 248 ad forum abeat, non ita magnam pecuniae in foro adipiscendae spem prae se fert.

2) Cf. 634 . . *quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit.*

3) Cf. v. 606 „*bene vale: apud Orcum te videbo*" s. q. s. Non dubito quin qui v. 606 et v. 243 comparat magnam veritatis speciem habere concedat utrumque versum ad eundem adulescentem pertinere.

illud praetermittendum est haud verisimile esse meretricem, cum ex intimo corde Argyrippum amet, etiamsi a matre coacta Diabolo interdum se dederit, tale quid fecisse quod v. 307 sqq. adulescens dicit:

Tum mi aedes quoque adridebant, quom ad te veniebam tuae:
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare aiebas mihi

e. q. s. Iam cum non modo singulis Haveti argumentis tantum, quantum ipse vult, tribuendum esse negarim, sed etiam viri docti coniecturam magnas in se habere difficultates demonstraverim, fieri non potest, quin omnino eam reiciam.

Sed fortasse quaerat quispiam, quid haec disputatio hoc loco, ubi de lacunis agendum est, sibi velit. Cur autem hanc disputationem huic parti inseruerim, iam ex ea re cognosci potest, quod ei, qui scenas I 2.3. Diabolo tribuit, unam vel aliquot scenas, quae ad Argyrippum pertinent, intercidisse statuendum esse luce clarius est. Itaque Havetus initio fabulae colloquium inter Argyrippum et Leonidam intercidisse putat. Sed cum omnia fere argumenta, quibus ille [1]) hanc coniecturam firmare studet, ex opinione qua scenae I. 2.3. ad Diabolum referuntur fluxerint, unum tantum dignum videtur, de quo rursus disputemus: ita clarius intellegi posse, quomodo, cum occasionem pecuniae defraudandae nactus sit, servus Leonida se gerat (cf. v. 283 sqq.). At ne in hac quidem re iam haerebimus, si haec fere nobiscum reputaverimus: Demaenetum Argyrippumque, cum a matre arte contenteque haberentur [2]), iam prius, ut argentum sibi compararent Artemonam defraudasse e versu 94 sq.:

„quoi ipsi nihil est in manu
Nisi quid tu porro uxorem defraudáveris“

apparet. Unde etiam facile concludi potest eos ita docuisse servos, ut ubi conspexissent occasionem pecuniae clam uxori auferendae, id statim nuntiarent dominis [3]). Leonida igitur, cum

1) L. s. s. p. 100.
2) Cf. v. 86: .. *quoi plus in manu sit quam tibi.*
v. 78: .. *illum mater arte contenteque habet.*
3) Adde quod Leonidam quoque amanti Argyrippo adiutorem esse ex Libani verbis .. *„alter noster est Leonida“* (v. 58) apparet.

se mercatorem defraudare posse putet, statim, ut Libanum sibi „optionem sumat“ [1]), accurrit [2]). Hunc in contextum optime quadrat, quod quae dominus hoc ipso die eum iusserat Libanus conservo narrat et iam in hac re nulla est difficultas [3]). Sed ne quid praetermisisse videar, addendum est, ne Havetum quidem, ut qui satis caute suam sententiam protulerit, ipsum huic coniecturae multum tribuere [4]).

Praeterea Havetus [5]) post 544 lacunam esse coniecit, qua primum parasitus in scenam prodiisset, ut lenae dominum suum pecuniam allaturum esse diceret, deinde Argyrippus quoque cum lena collocutus esset. Sed cum iam supra [6]) exposuerimus difficultates, quibus Havetus ad hanc quoque lacunam statuendam adductus est, expediri posse, si post v. 544 versus aliquot excidisse conicimus, non est cur duas scenas periisse nobis persuadeamus. —

Nunc, ut hanc de Haveti dissertatiuncula disputationem ad finem perducam, restat, ut paucis de ipso Diabolo agam. Namque Havetus non recte dixisse mihi quidem videtur hac in fabula id potissimum agi, ut rivalitas inter Argyrippum et Diabolum describatur [7]). Immo mea sententia poeta id unum describere vult, quam variis fortunae casibus Argyrippus iactetur, priusquam pretio pro asinis soluto (cf. titulum comoediae) amicam sibi comparaverit, Diabolum autem a poeta inductum esse imprimis quo crescat adulescentis timor, ne amicam amittat, deinde etiam ut puniendi Demaeneti auctor sit. — Sed haec hactenus.

Transeamus nunc ad illam quaestionem utrum qui versus initio quinti actus exstant (versus dico 828/829), id quod Weisius [8]) coniecit, alteri recensioni attribuendi an scenae

1) Cf. v. 101.
2) Non mirandum esse, quod quo ipso die Argyrippo pecunia opus est, per casum mercator ille Pellaeus adveniat Langenus (L. s. s. p. 89 adn.) similibus exemplis diserte exposuit.
3) Non recta, quae Langrehrius (l. s. s. p. 5) de hac re disputavit.
4) Cf. l. s. s. p. 101: „je n'oserais pourtant affirmer la mutilation initiale de l'acte Ier: ce n'est qu'une hypothèse plausible .. e. q. s.
5) L. s. s. p. 100.
6) Cf. huius diss. p. 11 sq.
7) Cf. l. s. s. p. 101: „La rivalité de Diabole et d'Argyrippe est donc .... le sujet général de toute la pièce“.
8) Cf. Weisius in libello, qui inscribitur „die Komödien des Plautus“ p. 34 sq. et Geppertus stud. Plaut. vol. I. p. 81/82.

deperditae eccyclematis usu inter v. 809/810 positae reliquiae sint, quam sententiam Ribbeckius[1] protulit. Equidem Ribbeckii sententiam praeferendam esse puto, cum non ita difficile sit, quomodo in eum ubi nunc exstant locum irrepserint, coniectura augurari. Nam cum eccyclemate etiam quinto actu opus esset, fieri poterat, quo facilius fabula doceri posset, ut dominus gregis brevem admodum scenam intra v. 809 et 810 omnino expungeret, initium autem scenae in margine adnotaret, qui postea autem fabulam descripsit, illos versus, ut qui ad quinti actus primae scenae versus, nisi quod metro alieni essent, optime quadrarent, hoc in loco transponeret.

§ 4.

Iam ut hanc de locis deperditis disputationem absolvam, restat ut paucis agam de minoribus aliquot fabulae lacunis. Versum exidisse his fere locis statuendum esse mihi quidem videtur: primum post v. 538, cum quonam haec lenae verba (v. 538):

Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tua

spectent vix intellegi possit. Quam obscuritatem deleri, si post hunc versum tale quid exstaret, quale Mostell. 200 sq.[2]), Leonem[3]) recte observasse apparet. Praeterea post versum 547 et 552 lacunas esse iam Fleckeisenus vidit, cum utroque loco verbum desit.

De aliis quas viri docti indagasse sibi visi sunt lacunis iure dubitari posse mihi persuasi: velut non est, cur post v. 225 huius sententiae versiculum excidisse *(sin ductare postulavit, tangit viscus, captus est)* Leoni concedamus, cum imago illa iam satis trita nobis videatur esse. Etiam ea quae Leo post v. 257 intercidisse putat[4]) non desidero, cum ita fere Libani verba intellegenda esse putem: multum nunc distat inter me et aliarum comoediarum servos. Nam illi erum defraudare student:

1) L. s. s. p. 57/58.
2) *Nilo ego quam nunc tu amata sum atque uni modo gessi morem:*
Qui pol me, ubi aetate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit deseruitque me e. q. s.
3) Cf. ed. (a. 1895) p. 73 adn. ad v. 538.
4) L. s. s. p. 63 adn.: „quom ad salutem eri advocantur eidem ingenio nil valent".

ego contra nihil antiquius habeo quam ut domino pecuniam comparem. — Illa quoque obscuritas quae est in versu 288[2]) interpretatione removeri potest, nempe ut his verbis Libanus exponat cur Leonidam adiuvare dubitet. Post v. 496 vix lacunam esse supra fusius exposui[2]); neque post versum 518[3]) Cleaeretae responsum excidisse mihi quidem persuadere possum, quamquam quod Leo coniecit[4]) aliquam prae se ferre veritatis speciem vix negari potest. Quod denique ad Ussingii[4]) attinet coniecturam, qui post v. 534 nonnulla excidisse putat, illam sententiam probare non possum, cum qui versum turbatum sanat eundem difficultatem removere putem[6]). — Ex iis quae ad huc disputavi elucet Plauti fabulam praeter paucos locos lacunis deformatos maiorem versuum iacturam non fecisse.

§ 5.

Quamquam vix dici potest Asinariam qualem ipse Plautus docuit aetatem tulisse. Notissimum enim est, cum Caecilio Statio et Terentio mortuis novae non iam darentur fabulae, quae populum Romanum delectarent, dominos gregis ad illas Plauti comoedias, quae suis temporibus adeo plausus tulerant, recurrisse easque denuo dedisse[7]). Neque vero domini gregis Plauti comoedias ut ipse Plautus conscripserat denuo dederunt, sed quae mutati temporis ratio vel ipsorum iudicium desideraret, addiderunt vel Plauti locos, qui nimis amplificati viderentur contraxerunt. Quae cum ita sint, qui qualem ipse Plautus, fabulam composuerit perspicere vult, sagacissime retractatoris

1) Goetzius et Loewius (ed. mai. a. 1881) post v. 288 lacunae signa posuerunt, in ed. min. postea haec signa omiserunt. Cf. etiam haec Leonis (l. s. s. p. 64 adn.) „nil dixit Leonida, quo ultima pertineant".
2) Cf. huius diss. p. 7 sq.
3) Qui versus in ed. Goetzii et Loewii (a. 1881) est v. 517; Librorum ordinem praeferendam ratus ordinem inverti. Cf. etiam ed. min. Goetzii et ed. Leonis.
4) Leo haec fere excidisse putat: *nil potest bonum celeuma, remex nisi bene audiat*".
5) Titi Maccii Plauti comoediae I Havniae 1875 adn. ad. v. 534.
6) Cf. exempli gratia quam Leo protulit coniecturam: fortasse supplendum esse „summust »iam nulla« vel summust »quo est« (adn. ad v. 534) et Goetzii et Loewii .... *„quom apud me inopiast excusatio"* (ed. mai p. 63).
7) Rem ita sese habuisse notissimum exstat documentum Casinae prologus.

vestigia indagare debet. Itaque nunc inquirendum est num quaedam partes Asinariae fabulae ad retractatorem pertineant. Ita autem hanc de retractatione disputationem instituam, ut primum afferam exemplum, unde Asinariam fabulam retractationem expertam esse certissime concludi possit, deinde ab hac suspicione profectus omnes qui scrupulum movent locos denuo pertractem.

Ac primum quidem versus 480—484 sine dubio a Plauto abiudicandos esse certum est, cum a sententia, metro, sermone alieni sint, ut optimo iure centendit Ussingius [1]). Longum est hanc rem denuo explicare, praesertim cum inter omnes fere viros doctos [2]) Ussingium de his versibus recte iudicasse constet. Iam cum hunc locum postea additum esse (fortasse, ut probabile reddidit Ussingius, in similitudinem Persae v. 745 sqq. et Curculionis v. 620 sqq.) manifestum sit, nostrum est quaerere, num in aliis quoque locis retractationis inveniri possint vestigia.

Itaque primum agamus de dittographiis, quarum nonnulla exempla in Asinaria fabula detexisse sibi visi sunt Goetzius et Loewius [4]). Haud raro enim apud Plautum, ut qui a. 1876 certa ratione in hanc rem inquisivit Goetzius [4]) fusius exposuit, occurrunt loci ubi duo eiusdem argumenti exstant recensiones, quarum altera destinata fuisse videtur, quae pro altera legeretur sive ipsius poetae recensio aliquantum obscura sive nimis longa atque amplificata retractatori visa est.

Iam ut exemplo doceam retractatorem aliam substituisse recensionem, quod Plauti verba vix intellegerentur, transeamus ad v. 23—28. Hi versus bis idem exhibent atque alterius recensionis versus 22. 24. 27. 28, alterius v. 25. 26. 27. 28 videntur fuisse. Quaeritur utra recensio genuina sit. Cum adhuc omnes

1) L. s. s. p. 395/96.

2) Excepto uno Rauterbergio, qui (l. s. s. p. 3) consulto Plautum mercatorem legum Romanorum imperitum finxisse contendit. Licet hoc per se non male excogitatum sit, attamen fere nihil valet, cum versus etiam aliis de causis eiciendi sint. Cf. etiam Fredershauseni dissertationem, quae est „de iure Plautino et Terentiano (Gottingae 1906), qui (p. 26) eodem argumento Lipsium versus e iure Attico interpretatum impugnat.

3) Cf. praef. ed. mai. p. XXII.

4) Cf. acta soc. Lips. VI.

viri docti [1]) versus 23. 24. damnavissent, Leo de hoc loco sic iudicat: „obtestatur erum servus dum domo egrediuntur, ergo per Dium Fidium eum quaerere ait, cf. Varro de l. l. 5. 66 *quidam negant sub tecto per hunc deierare oportere,* Cati frg. 35 R. (Nonius 494), *qui per deum Fidium iurare volt, prodire solet in compluvium,* non hi versus, sed 25. 26. suppositi videntur, cum illi non intellegerentur". Quae cum interpretandi ratio optime mihi placeat, facere non possum, quin censeam, quamquam propter verbum *eloqui (eloquere)* et v. 24 et v. 27 adhibitum [2]) etiamnunc dubitari posse concedo, genuinam recensionem priorem esse. Aliud dittographiae exemplum versibus 312—317 exstare Goetzius [3]) agnovit. Quam ille protulit sententiam, Langenus [4]) impugnat, qui nisi v. 309—311 eiciendos esse nullos putat. Neque vero Goetzii argumenta labefecisse mihi videtur, praesertim cum, id quod maximi momenti est, versum 311 versu 318 optime excipi vix negari possit. Accedit quod quibus de causis Langenus v. 314. 316. Plauti esse probare studuerit, vix quemquam convinci posse apparet. Itaque Goetzio adstipulor atque v. 312—317 a retractatore, qui scenas contrahere voluerit, fictos esse persuasum habeo.

Praeterea dittographiae exemplum Goetzius et Loewius in primae primi actus scenae extrema parte detexisse sibi visi sunt atque alteram recensionem v. 107—115, alteram v. 107. 108. 116 sqq. esse putant [5]). Concedendum videtur dubitari posse, num arti Plautinae conveniat hac parte et servum de domino et dominum de servo alterum post alterum similiter secum colloqui. Schenkelius [6]) a Goetzii et Loewii suspicione profectus versus hunc in ordinem redegit: 107. 108. 109. 110/116 (ita ut hic versus hunc in formam redactus sit: *Lib. Vbi eris?* Dem. *Apud Archibulum ego ero argentarium.*) 117. 118 sqq. Ver-

1) Fleckeisenum (ed.) Ribbeckium (l. s. s. p. 55), Langenum (l. s. s. p. 239/40), Goetzium et Loewium (praef. XXII dubitanter!).

2) Cf. Goetzium et Loewium l. s. s., Langenum l. s. s.

3) Cf. quae de Ussingii scripsit editione Nov. ann. vol. 113 (a. 1876) p. 361.

4) L. s. s. p. 244.

5) Cf. praef. ed. mai. p. XXII.

6) L. s. s. p. 44/45.

sus autem 111—115 aut post v. 107 aut post v. 117 ponendos esse vir doctus putat: omni ratione carere atque pessima esse haec: *ubiquomque lubitum erit animo meo* et *audin tu.* Langenus locum ita sanare studet, ut Camerarium secutus verba *ego eo ad forum, nisi quid vis* Demaeneto, verba autem *ei, bene ambula* Libano det atque v. 109/110 omnino expungat[1]. Neque vero quae Goetzius et Loewius, Schenkelius, Langenus attulerunt argumenta mihi satis faciunt, immo ei qui primus totum locum integrum esse[2] contendit, Rauterbergio assentior: etenim, ut ipsis Rauterbergii verbis utar, „cum tota scena tum inde a v. 107 usque ad v. 125 illud discrimen descripsit poeta, quod inter servum insolentem et audacem voluit intercedere, et senem qui primo fortitudinem simulat (v. 64 sqq.), postremo totam rem alteri committit"[3].

Quod ad v. 211 sqq. attinet, ad quos Goetzius et Loewius „non obloquemur, si cui v. 209 sq. fusius explicari vel circumscribi videantur versibus 211—213" adnotant, facere non possum, ut cum viris doctis faciam. Nam quis miretur adulescentem percitum gravissima ira infestissimoque stomacho, quod ab amica exclusus sit, satis multis iisque concitatis verbis quam benigne prius a lena acceptus sit exponere[4]?

Attamen etiamsi garrulitati adulescentis hac in scena aliquid tribuendum esse vix quisquam negare potest, tamen fieri non potest, ut etiam v. 139 et v. 140 pariter genuini sint; quamquam uter versus vere Plautinus sit diiudicare non audeam. — Porro versum 560 a retractatore, ut pro v. 558. 59 legeretur, additum esse puto[5]. — Etiam v. 858—60 postea additi esse videntur. Goetzius enim et Loewius optime observarunt

1) L. s. s. p. 242.

2) Radermacherus si non omnem locum, at certe v. 116 sqq. genuinos esse censet, cum ex v. 124 Asinariam a. ducentesimo duodecimo datam esse coniecerit. Cf. Mus. Rhen. 58 (1903) p. 637.

3) Cf. Rauterbergium l. s. s. p. 3; adde etiam Ribbeckium l. s. s. p. 57[1]: „dagegen kann ich v. 116—125 nicht als parallelen Scenenschluß ansehen, vielmehr lenkt der Alte mit audin tu nach der übermütigen Auslassung des Sklaven wieder zur Sache (vgl. 109 atque audin etiam) zurück". Similiter Leo (l. s. s. adn. ad v. 108) totum locum genuinum esse contendit.

4) Cf. Ribbeckium l. s. s. p. 57: „Argyrippus kann sich nicht genug thun in der Schilderung der guten Behandlung, die er früher erfuhr und jetzt schmerzlich vermißt".

5) Cf. Goetzium et Loewium adn. ad v. 560

v. 861 aptissime v. 857 continuare[1]. — Quod ad v. 901—903 attinet, Langeno[2], qui versus genuinos esse negat, astipulor. — Praeterea interpolationis suspicionem movent hi fere versus: 77. 126. 250 vel 252[3]. 552. Dubitare licet de v. 205. Versum 66 recte defendisse videtur Leo (adn. ad v. 66). V. 94 a Leone iniuria damnatum esse Seyfferto[4] concedo.

Quae cum ita sint, verisimile est Asinariam, quamquam retractionis vestigia non desunt neque negari potest nonnullos versus intercidisse[5], non ita dissimilem fabulae, quae ad nos pervenit, ab ipso Plauto compositam esse. Quomodo autem Plautus Asinariam fabulam composuerit proxima parte quaerendum est.

§ 6.

Ac primum quidem perscrutemur, num in componenda fabula poeta contaminatione usus sit. — Naevium, Plautum, Ennium, Terentium alios poetas Romanos, cum Graecas fabulas in linguam Latinam verterent, non modo de suis ingeniis quaedam addidisse, sed etiam, quo uberius fabulae argumentum procederet, ex aliis Graecis fabulis eiusdem vel similis argumenti interdum nonnullas partes in eam quam ipsi daturi erant fabulam inseruisse constat. Quamquam ex nonnullis Terenti prologis has fabulas quas contaminatas[6] dixerunt ab adversariis vituperatas esse certum est. Neque vero — id quod nonnulli viri docti coniecerunt — sub hac voce apud Terentium quasi terminus latet technicus qui dicitur, quo ex duabus vel compluribus unam facere fabulam significatur: sed cum propria

1) L. s. s. adn. ad v. 857.

2) L. s. s. p. 246/247. cf. Goetzium et Loewium l. s. s. praef. p. XXII.

3) Cf. Langenum l. s. s. p. 243. Adde Kellermanni sententiam comment. Ienens. VII p. 131 expositam, quem recte de hoc loco iudicasse puto.

4) Cf. Hebdomadalia philologa Berolin. 1896, p. 833.

5) Cf. huius diss. p. 11 sq. 24 sq.

6) Cf. Andr. prol. v. 15. 16:
Id isti vituperant factum atque in eo disputant
Contaminari non decere fabulas.
Adde Hetimor. auton prol. 16—18:
Nam quod rumores distulerunt malivoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas e. q. s.

verbi 'contaminandi' vis nulla sit nisi quae in malam partem accipienda est, Terentius his locis cum aliqua irrisione ipsa adversariorum verba adhibet. Nos autem his temporibus cum grammaticis quibusdam hoc vocabulo ita abutimur, ut nihil vituperationis insit, immo nunc re vera terminus est technicus, quo sine vituperatione dicimus ex duabus vel pluribus comoediis unam factam esse.

Plautum poetam fabulas contaminasse non solum ex Terenti prologis elucet, sed etiam a viris doctis ita, ut vix dubitari possit, argumentis ex ipsis fabulis petitis probatum est. Eo facilius autem quas partes Plautus ex alia fabula addiderit, cognosci potest, quod non sicut Terentius (nam nisi ipse Terentius se contaminasse profiteretur, contaminationis vestigia in fabulis eius minus certa essent) quas partes ex alia fabula sumpserit, artissime cum contextu coniunxit, sed paulo licentius in hac re se gessit. Itaque ubi in fabulis singulae partes non plane cohaerent, non abest quaedam suspicio, quin Plautus contaminatione usus sit. Sed perfacile modum transgrediatur, qui, si quando fabulam non ab omni parte carere rebus, quae sibi aut non respondent aut male respondent, intellexerit, de contaminatione cogitet. Notissimum enim est etiam in comoediis Plautinis, quae contaminationis suspicionem nullo modo movent, nonnulla inveniri, quae inter se non ita bene congruant. Ac recte Langenus quidem opusculo, quod inscripsit „Plautinische Studien" [1]) fusius [2]) exposuit talia in nulla fere fabula prorsus deesse. Unde de contaminatione satis caute iudicandum esse plane apparet.

Etiam in Asinaria fabula, ut ad ipsum accedamus propositum, viri docti ansam nacti esse sibi visi sunt, qua fabulam contaminatam esse demonstrarent. Velut de contaminatione fabulae cogitaverunt Goetzius et Loewius, qui in praef. ed. maioris (a. 1881) p. XXIV propter nonnullas turbas quae insunt ad contaminationem confugiendum esse coniciunt.

In quam rem qui post Goetzium et Loewium inquisiverunt velut Ribbeckius [3]), Langenus [4]), Rauterbergius [5]),

1) Ed. Berolini 1887.
2) Quamquam non desunt, de quibus argutius et scrupulosius quam verius iudicavisse videatur.
3) L. s. s. p. 54.
4) L. s. s. p. 98.
5) L. s. s. p. 1.

Langrehrius [1]), quae illi attulerunt argumenta non tantum valere putant, ut ex eis fabulam contaminatam esse demonstretur. Quamquam qui nuper novus exstitit Plauti comoediarum editor Leo in adn. ad v. 127 a. 1895 ad ea quae Goetzius et Loewius coniecerant recurrens Plautum in Asinaria contaminatione usum esse contendit.

Iam nostrum est quaerere, num quae illi viri docti attulerunt argumenta tantam vim habeant, ex quibus conicias Plautum scenas II et III primi actus — de nullis enim nisi de his agitur — ex alia fabula sumpsisse. Atque cum quos supra nominavi viri docti praeter Leonem nulla nisi Goetzii et Loewii argumenta impugnent, Leo autem nova afferat argumenta, rem ita instituam, ut primum disseram, quid de illorum sententia eorumque, qui eos impugnaverunt, censendum sit, deinde ad Leonis sententiam percensendam accedam.

Itaque primum audiamus ipsa Goetzii et Loewii de hac re verba [2]): „. . . v. 74 narrat Demaenetus sese a filio aditum esse, ut viginti minas pararet quas meretrici daret. Versu autem 230 Argyrippus audit viginti lenam poscere minas. Qui factum est, ut a patre mane viginti minas peteret, cum multo post demum certior fieret tot minas postulari? Nec illud neglegi posse duximus, quod v. 245 sqq. filius prorsus oblitus est patrem sese adiisse. Accedit quod idem Argyrippus, qui v. 248 in forum abierat, v. 329 in Philaenii aedibus versatur, una scena interiecta nec ratione reddita cur statim redierit. Denique qui potuit Argyrippus domum Cleaeretae intrare post ea quae v. 152 locutus erat? Non videmus, qua certa ratione hae turbae removeantur: qui ferri posse negaverit, is haud scimus an ad contaminationem confugiat et scenas 2 et 3 ex alia fabula in hanc insertas esse suspicetur. Sed suum quisque sequatur indicium: nos satis duximus rem enotasse". Ac primum quidem, ut singula quae Goetzius et Loewius attulerunt argumenta, denuo percenseam, quod ad v. 89 et v. 230 attinet, iam supra [3]), cum de scenis 2 et 3 ab Haveto Diabolo adscriptis agerem, ostendi, quomodo illi versus, qui primo obtutu valde inter se discrepant, coniungi possint. Se-

1) Progr. Friedland i. M. 1894, p. 1.
2) Praef. ed. mai. (a. 1881), p. XXIII/XXIV.
3) Cf. huius diss. p. 26 sqq.

cundum illud, quo Goetzius et Loewius offensi sunt, quod v. 245 Argyrippus prorsus oblitus esset sese patrem de comparanda pecunia adiisse, facile removetur, si patrem dudum quam difficile foret, ut tantum pecuniae compararet, filio dixisse statuimus. Atque ita rem sese habuisse verisimile fit, si in colloquio Demaeneti et Libani audimus patri nihil in manu esse[1]. Sed recte iam cum Ribbeckius[2], ut Goetzii et Loewii sententiam labefaceret, tale quid coniecisset, Langenus[3] hoc poetam iam antea dicere debuisse monuit. Sin reputamus Plautum comoedias non ubique pari diligentia composuisse, huic leviusculae rei non tantum tribuemus ut, fabulam esse contaminatam credamus. Dein quod adulescens, qui v. 248 in forum abierat, v. 329 rursus domi versatur[4], Ribbeckius[5] eumque secutus Langenus[6] ita explicuerunt, ut conicerent inter actum primum et secundum (i. e. inter v. 148 et 149) Cleaeretam exiisse adulescentemque, ut esset amator cupidissimus, ad Philaenium venisse et ab ea domum receptum esse. Quod mea quidem sententia recte coniecerunt atque iure ita optime intellegi posse contendunt, cur postea (v. 504 sqq.) lena reversa tam graviter in filiam invehatur[7]. Ut quae illi viri docti coniecerunt, argumentis confirmem, rationem habendam esse contendo v. 585, unde Argyrippum domi Cleaeretae versatum esse ex ea re cognosci potest, quod ibi inde exit. Eo minus dici potest poetam, cum v. 329 Libanum dicentem faceret, Argyrippum domi Cleaeretae esse, postea hoc non curasse. — Hucusque Ribbeckio plane assentior. Sed quod ille dicit, inter primum et secundum actum Libanum in foro cum Argyrippo convenisse et cum eo collocutum esse, facere non possum ut meum faciam. Nam si Libanus quae antea facta erant ex Argyrippo audivisset, v. 596 certe non diceret *homo hercle hinc exclusust foras,* immo dixisset eum *iterum* exclusum esse vel aliter id, quod ab Argyrippo compererat, conservo narravisset. —

1) Cf. v. 91—95.
2) L. s. s. p. 55.
3) L. s. s. p. 100.
4) Cf. huius diss. p. 7.
5) L. s. s. p. 56/57.
6) L. s. s. p. 101.
7) Cf. v. 504. 505, 508. 509, maxime v. 522. 23

Iam in universum Ribbeckium Langenumque secutus turbas, quibus commoti Goetzius et Loewius de contaminatione cogitarunt, removisse mihi videor. Atque quamquam non desunt, de quibus etiam nunc dubitari possit, tamen si consideraverimus Plautum etiam graviora neglegentiae specimina admisisse, nos non iam habere puto, cur tantas has turbas dicamus esse, ut scenas 2 et 3 actus primi ex alia fabula sumptas esse contendamus. — Sed ne quid praetermisisse videar, de sententia Rauterbergii et Langrehri, quamquam minorem vim habere facile perspicies, hoc loco paucis agere in animo est. Atque Rauterbergius de contaminatione cogitari nil referre dicit; nam „graecum exemplar illa macula purgamus, romanum poetam ingeniosissimum illum neglegentissime sinimus egisse“[1] contendit. Respondemus contaminationis suspicione admissa non id agi, ut gloria poetae minuatur, sed ut cognoscatur, qui factum sit, ut quae inter se male congruant in contextum irrepserint. Ad hanc autem quaestionem enucleandam utrum poeta contaminatione usus sit, necne permagni esse momenti quis est quin concedat? — Etiam Langrehrius[2] contaminationis suspicionem non ita multum valere putat, cum quoquo modo nobis Graecum exemplar aut exemplaria Graeca conformaremus, nil ad difficultates delendas nancisceremur. Quamquam haec non ad solas scenas 2 et 3 primi actus pertinent, sed etiam ad alias turbas quas ille in contextu Asinariae detexisse sibi videtur[3]. Nam quod ad eas quas modo diximus scenas spectat, hoc non recte dicit, immo facillimum est pro illis statuere scenas, quae nullas in se habent difficultates. Sed haec hactenus.

Nunc audiamus Leonis de hac re iudicium, qui ad v. 127 (ed. a. 1895; in editione anni 1885 nil de contaminatione dictum est) haec adnotat: „Argyrippi canticum et cum lena colloquium Plautus ex alia fabula sumpta Demophilo addidisse vel potius alii eius scenae substituisse videtur, non plane remotis quae his obstant in antecedente scena (v. 89) et

1) L. s. s. p. 1.
2) L. s. s. p. 10.
3) De Langrehri opusculo proxima parte fusius mihi agendum erit.

III. 1. (533) 3 (v. 594) cf. v. 329 magnam haec cum Truculento similitudinem habent".

Sed priusquam ad ipsam accedamus rem, liceat nobis quod ille brevius pauloque obscurius dixit aliquanto uberius fusiusque exponere. Nam quod ad v. 533 et 594 attinet, valde dolendum est, quod quibus rebus in his versibus offensus sit, non plane dicat. Mea quidem sententia versum 533 *(ne ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras)* eis quae antea aguntur respondere negat, cum iam prius Argyrippum a lena e domo eiectum esse constet (cf. v. 127). Versum autem 394 *(mater supremum mihi tua dixit, domum ire iussit)* haud scio an difficultatem praebere ideo putet, quod hoc versu poeta Argyrippum ita loquentem facit, ut post v. 248 non iam domi Cleaeretae versatus esse videatur, quamquam ex v. 329 cognosci potest eum domum Cleaeretae rursus intrasse.

Iam ut utrumque versum[1]) una disputatione adumbremus, priusquam ipsam difficultatem tractemus, haud inutile nobis videtur exponere quidnam ante et post lenae cum meretrice colloquium (III. 1.) accidisse statuendum sit. Argyrippus enim, cum post I. 3. (v. 248) in forum abiisset, sibi autem pecuniam comparare non potuisset, rursus ad Philaenium redierat atque, cum mater exiisset, ab ea receptus erat[2]). Sed cum lena redisset filiamque iniussu suo amatorem denuo recepisse videret, ad ea, quae prima tertii actus scena videmus, agenda cum filia e domo exit (neque enim aliter poeta haec spectatoribus demonstrare poterat[3]), gravissimis conviciis eam obruit, omnem denique rem denuo evolvit: quod nihil sperandum esset ab amatore pauperrimo quodque prius fame morerentur, quam ab Argyrippo pecuniam acciperent. Nunc secum constitutum esse dicit Argyrippum foras eiectum iri, nisi hoc ipso die viginti afferret minas. Post colloquium Cleaeretae cum Philaenio mater filiam domum abire iubet ipsaque postquam ea quae excidisse statuimus[4]) verba fecit eam sequitur. Ibi Argyrippus, qui ut supra conie-

1) Versum 89 vix difficultatem praebere supra (p. 14 sqq.) ostendi.
2) Non recte Langrehrius (l. s. s. p. 4) post III, 1 Argyrippum a Philaenio receptum esse coniecisse videtur. Cf. Ribbeckium (l. s. s. p. 55/56), Langenum (l. s. s. p. 100) v. 329.
3) Eccyclemate quod vocatur Plautum usum esse rarissima sunt vestigia.
4) Cf. huius dissert. p. 11 sq.

cimus a meretrice receptus erat, versabatur (cf. v. 329) atque lena rursus novum colloquium idque simile ei, quod I. 3. exstat cum eo habuit. De indiciis, unde huius fere argumenti colloquium re vera fuisse concludendum sit, supra[1]) disputavi. — His rebus expositis iam ad ipsam Leonis redeamus sententiam. Atque quibus v. 533 offensus est, ea ita e medio tolli posse mihi videntur: lena enim gravissima in Argyrippum filiamque ira percita ibi se nunc nec precibus nec promissis eo perduci posse, ut Argyrippo dilationem praebeat affirmat. Velim conferas versus praecedentes, quibus de promissis Argyrippi sermo est. Praeterea non est cur lenam iterum se adulescentem eiecturam esse filiae dicere exspectemus, cum re vera primo actu sibi non constiterit, immo adulescenti pecuniae comparandae tempus dederit[2]). Quod autem ad tertium illud argumentum Leonis attinet, ex iis quae supra disseruimus elucet, in v. 594 nullam inesse difficultatem: immo hoc versu Argyrippum Philaenio quae ultimo colloquio mater dixerat (cum alius amator isque divitissimus adesset, Argyrippo nullam spem relictam esse eique domum eundum esse) narrare.

Iam argumentis quibus viri docti Asinariam fabulam contaminatam esse demonstrare studuerint, pensitatis vix eis tantam vim inesse vidimus, ex quibus Plautum in componenda fabula contaminatione usum esse concludatur. Accedunt aliae deliberationes: quicunque Asinariam fabulam, quae primo obtutu satis distincte et distribute composita esse videtur, sagacissime perlustrat, eum non effugiet permulta inesse quae inter se melius coniuncta esse possint. Neque vero eius generis difficultates accepta illa coniectura, qua scenae I. 2. 3. ex alia fabula sumptae Demophili fabulae inserta sint, plane removentur, sed etiam in aliis fabulae partibus sunt, quae quomodo inter se cohaererent poeta nostro quidem iudicio distinctius ostendere debuit. Velut inter III. 1. et III. 3. lenam cum Argyrippo collocutam esse clarius demonstrari potuit[3]). Neque vero nostrum est poetam vituperare, sed percensere num illum talia in se admisisse verisimile sit. Sin reputaverimus in aliis Plauti

1) Cf. huius dissert. p. 12 sq.
2) Cf. etiam quae Haveti argumentum impugnans disputavi p. 37.
3) Cf. huius dissert. p. 12 sq.

fabulis vix deesse, quae his temporibus iure poetae crimini darentur, non ita acriter de his rebus iudicabimus Accedit quod quomodo Demophilus fabulam, quam inscripsit ὀναγός, composuerit vix erui potest. Illud autem constat Demophilum inter Graecae comoediae poetas non ita celebrem fuisse [1]). Quid igitur mirum quod Plautus, quem hac in fabula haud multum ab exemplari Graeco recessisse verisimile est [2]), quae poeta Graecus minus bene composuerat, vix melius civibus suis vertit? Itaque, ut huius disputationis summam faciam, verisimilius mihi quidem videtur Plautum in Asinaria fabula componenda contaminatione abstinuisse.

Cum in hac dissertationis parte de compositione Asinariae disputare in animo sit, fieri non potest, quin ad illam quoque quaestionem accedam, quid omnino de virorum doctorum sententia, qui in contextu fabulae errores difficultatesque, quae inter se vix coniungi possint, indagaverint, censendum sit.

§ 7.

Itaque nunc mihi quaerendum est num in componenda hac fabula poeta neglegentius quam in ceteris se gesserit Plautus. Longum est hic denuo disputare de locis in quibus mire haeserit Weisii perversa sagacitas. Sed ne his quidem temporibus desunt, qui graviora neglegentiae specimina in Asinaria detexisse sibi visi sint. Atque cum Langrehrius in opusculo quod inscripsit „de Plauti Asinaria" omnia quae etiam nunc scrupulum movere putet collegerit, in hac disputatione illius tractatum sequar [3]). Ac primum quidem ille non recte dubitasse mihi quidem videtur, quid v. 358:

1) Praeterquam quod Asinariae exemplar Atticum ad Demophilum pertinere notum est, vix quicquam de Demophilo atque de tempore quo floruerit scimus. Menandri aemulum fuisse Leo 'Plautinische Forschungen' p. 132 contendit.

2) Cf. Ribbeckium l. s. s. p. 54: „Der Verfasser scheint sich im Großen und Ganzen an sein griechisches Original gehalten zu haben"; adde Christii hist. litt. Graec.[4] p. 325.

3) De nonnullis quae huc spectant quaestionibus iam supra egi, cum de lacunis et de contaminatione dissererem, velut de ratione, quae intercedat inter v. 89 et v. 230 sq. (p. 14 sqq.), de initio fabulae (p. 10 sqq.), de aliis, quibus offensi sunt viri docti, atque multas turbas, quae visae sunt exstare, e medio tolli posse me ostendisse puto. Itaque ne nunc omnem rem denuo recoquam, disputationem de his rebus supra institutam in memoriam te revocare iubeo.

Quid nunc consili captandum censes?

sibi velit. Nam Leonidam ita quaerere, ut sciat, quid de hac re Libanus censeat, quis est quin intellegat? Illud quoque nihil est, quod Langrehrio supervacanea atque inutilia esse visa sunt quae sequuntur verba Libani. Neque denique dixerim veritati repuguare v. 360/361 [1]). Immo optimo iure Libanus dixisse mihi videtur accelerandum esse opus, ne mercator, priusquam arcessitus esset senex, adveniret. Quid enim, si supervenisset Saurea? Etiam illud recte Langrehrium dixisse nego, mirum in modum parasitum adulescenti ne ipse matronae scelus Demaeneti nuntiet persuadere (v. 820 sqq.). Dicit enim: 'quid id Artemonae interest, qua de causa res detegatur, qui vero Diabolum sua causa scelus viri patefacere sibi persuadebit?' [2]) Mea autem sententia servus optime dicit honestius esse se rem palam facere: nam si Diabolus ipse Artemonae haec narraret, luce clarius esset eam haec amoris causa fieri perspecturam ideoque adulescentem *ob praereptam mulierem* [3]) delatorem vix magni esse aestimaturam.

Transeamus nunc ad haec Langrehrii: „maiorem autem Plauti levitatem in eo mihi videor deprehendisse, quod IV. 2. Diabolum vv. 812—815 omnia, quae demum actu quinto audimus, praeoccupantem facit. Confer, quaeso, cum eius verbis l. c. v. 870—74 et 884—89. Non solum, quae re vera facta sunt, sed etiam, quae futura erant, quae senex coram sola uxore dicere solebat, scit atque summa cum malevolentia interpretatur atque etiam auget [4])". In hac quoque re non adeo haeream. Nam quid est cur Demaenetum apud Philaenium cenantem haec fere gloriose dixisse eaque Diabolum, cum post v. 809 Cleaeretae domum intrasset, audivisse negemus? Praeterea Langrehrius non recte dicit Diabolum etiam, „quae futura erant" scire. Nam v. 815:

.... suppiles clam domi uxorem tuam?

non de palla (cf. v. 885), immo de viginti minis cogitandum est.

1) *... nam si ille argentum prius*
Hospes huc affert, continuo nos ambo exclusi sumus.

2) L. s. s. p. 7.

3) Ut prologi utar verbis.

4) L. s. s. p. 7.

Etiam alterum praeoccupationis exemplum se invenisse Langrehrius his verbis dicit: „nam quae Diabolus parasitum suum conscribere iusserat, sermone Argyrippi iam sunt indicata et partim quidem ad verbum expressa. Ita *syngraphus* v. 238 et 745 [1]), *leges* v. 234 et 746 [2]), *perpetuum annum hunc* v. 235, *hunc annum totum* v. 754, *nec quemquam* ... *alium* 236, *neque cum quiquam alio* 754 [3])". Sed haec tantopere poetae crimini danda esse negaverim. Nam ubicunque de eadem vel simili re agitur, etiam eisdem vel similibus verbis poetam uti posse quis est quin concedat? Praeterea *perpetuum annum* et *totum annum* ne valet quidem prorsus idem.

At etiam de rerum statu in Cleaeretae domo poetam quae minime consonent referre Langrehrius indagasse sibi visus est [4]). Reapse ab alia parte domus et familia lenae, quasi divitis feminae, nobis depinguntur, quamquam ab altera parte egestatis saepe mentio fit. Langrehrium autem praeteriit opinor, ex ipsis Argyrippi verbis (cf. v. 139—144) elucere Cleaeretam, priusquam ille animum Philaenio dederat, summa egestate vixisse: eundem autem mox tantum pecuniae dedisse, ut iam laute vivere posset. Quod ibi lena ipsa sibi non iam esse dicit, quo panem, vinum alia emat, haec per superlationem esse dicta vix quemquam fugere puto. Porro poetam sibi non constitisse in consuetudine Philaenii describenda Langrehrius non recte monuisse [5]) mihi videtur. Nam quamquam alibi scriptum est puellam a matre domum Argyrippi missam esse, alibi Argyrippum domum Cleaeretae venisse exstat, tamen haec inter se minime consonare iniuria contendit Langrehrius. Immo verisimillimum mihi videtur esse, cum Argyrippus ad Philaenium veniat, eam quoque domum Argyrippi venisse. Praeterea cum intra eiusdem scenae spatium eiusmodi repugnantia quae dicuntur deprehendantur, probabile est minime ea fuisse re vera repugnantia.

Quae quoniam de Langrehrii opusculo monui, ad finem

---

1) Lege 746.
2) Lege 747.
3) L. s. s. p. 8.
4) L. s. s. p. 8.
5) L. s. s. p. 9.

perveni. Atque si paucis disputationis summam facere licet, satis probasse mihi videor viros doctos, qui longe aliter ac nunc exstat fabulam ab ipso Plauto compositam esse contenderunt, erravisse: immo praeterquam quod pauci versus intercideruut atque nonnulli loci a retractatore mutati sunt, ipsam Plauti fabulam aetatem tulisse. Praeterea me demonstrasse spero de contaminatione vix cogitandum esse neque iure poetae crimini dari eum in componenda fabula liberius quam poetae comico Plauti temporum licitum erat sese gessisse. — Sed haec hactenus. Iam transeamus ad disputationem, quae est de exemplari Attico.

De exemplari Attico.

§ 8.

Hac parte omittam Asinariam ita pertractare, ut exemplum Siewerti [1]) (in Amphitruone) secutus diiudicare studeam quid ad Graecum exemplar quid ad Romanum poetam pertineat: immo hoc loco operae pretium videtur esse quaerere num Leo Asinariae exemplar Graecum in similitudinem Truculenti, Pseudoli, Menaechmorum exemplarium compositum esse recte coniecerit. Ille enim in libello, quem inscripsit „Plautinische Forschungen" p. 148 [1] diligentissime inquirendum esse dicit, quae ratio intercedat inter Plauti comoediarum exemplaria Graeca. Asinariae enim exemplar Graecum non solum ex exemplari Truculenti, sed etiam (II. 3. 4.) Pseudoli et (815. 851 sq., 885) Menaechmorum pendere. Huic autem coniecturae fundamentum debere esse quod luce clarius sit Demophilum post annum 269, quo quae trium quas modo nominavi fabularum recentissima videtur datam esse Hueffnerus [2]) probabile reddidit, fabulam quam inscripsit „ὀναγός" docuisse. Sed iam hac in re valde dubitare licet, cum quo tempore Demophilus

---

1) Cf. Siewertus, Plautus in Amph. fabula quomodo exemplar Graecum transtulerit. Diss. inaug. Lips. 1894. Qui vir doctus eadem ratione se alias quoque fabulas pertractaturum esse pollicitus est.

2) Cf. Hueffneri dissertationem inaug., quam scripsit „de Plauti comoediarum exempl. Attico". Gott. 1894 p. 54. Adde quae A. Holm disputavit in hebdomad. Berol. 1894 p. 1254.

floruerit fabulamque de qua sermo est, praeter quam ne titulus quidem ullius comoediae eiusdem poetae ad nos pervenerit, docuerit omnino nesciamus. Quamquam Leo Demophilum Menandri aemulum fuisse sibi persuasit, cum „Plautinische Forschungen“ p. 132 haec scribit: „Demophilus, ein Nachahmer des Menander“. Sed valde dolendum est quod quibus argumentis ad hanc sententiam adductus sit nusquam dicit. Equidem etsi bene Menandri artem novimus — si quidem ex fragmentis uberrimis et eis quas Plautus et Terentius in linguam Latinam verterunt fabulis quomodo ille comoedias suas composuerit coniectura augurari licet — tamen cum Demophili nisi quam Plautus ex onago expressit, nulla fabula ad nos pervenerit, concludere non audeam ex hac sola fabula Demophilum Menandri imitatorem esse. Accedit quod trium fabularum ex quibus Asinariam pendere putat fortasse nulla Menandro tribuenda est[1]). Sed iam cum haec praemonuerimus, ad ipsam accedamus rem. Leo enim, cum haud ignoret, quae in comoediis Plautinis sui persimilia sint, saepissime eandem iam apud Graecum poetam similitudinem habuisse, ut accuratius Graecas cognoscat comoedias, ad Lucianum Alciphronemque, quippe qui fabulas novae ut aiunt comoediae excerpserint et nonnulla de his opusculis suis inseruerint, recurrit: neque negari potest haec mire cum Plauti fabulis et locis quibusdam Truculenti et Asinariae consentire. Quos locos Leo collegit[2]) atque cum in Truculento item atque in Asinariae scenis I. 2. 3. similiter meretricum mores depingantur, scenas I. 2. 3. Asinariae in similitudinem Truculenti compositas esse contendit. Illud vix negandum est Lucianum ex Graecis comoediis hausisse neque difficile est praeter eos quos Leo collegit locos etiam alios protrahere, qui magnam cum Asinaria prae se ferant similitudinem. Velut quod in Asinaria parasiti symbolus poscit in foribus lenae inscribi meretricem occupatam esse (cf. v. 760 *in foribus scribat occupatam esse se)*, similiter etiam apud Lucianum dictum est: *μήτ᾽ ἀπέκλεισα ἐλθόντα,*

---

1) Cf. quae Wilamowitzius disputavit nov. ann. 3 (1899) p. 517 adn. 1; cum Leo (Hermes 18 (1883) p. 563, cui astipulatus est Hueffnerus (l. s. s. p. 17) Pseudolum a Menandro compositam esse contendisset: cf etiam C. A. Dietze „de Philemone comico“ Gott. 1901, p. 33.

2) Cf. l. s. s. p. 134/135.

ἔνδον ἕτερος, εἰποῦσα[1]) atque cum eiusdem syngraphi verbis *ad eorum ne quem oculos adiciat suos* (v. 769) mire consentiunt haec Luciani: *οὔτε ἀποσκώπτει ἔςτινα τῶν παρόντων, ἐς μόνον δὲ τὸν μισθωσάμενον βλέπει*“[2]). Sed videamus, quid hoc ad eam quam tractamus quaestionem valeat. Lucianum et Truculenti et Asinariae exemplar Atticum novisse verisimile est, cum ex utraque fabula, quae in altera non inveniuntur, excerpsisse videatur[3]). Accedit quod scenas I. 2. 3. Asinariae ex alia fabula sumptas Demophili fabulae insertas esse vix iure dici posse supra de contaminatione disputans (p. 29 sqq.) demonstrasse mihi videor. Praeterea huic fere deliberationi multum tribuendum esse puto. Si quis enim poeta eiusdem generis homines depingit atque alius poeta, perfacile fieri potest, ut quaedam simillime dicantur, etiamsi poetae nullo modo alter ex altero pendent. Velut ut ex his ipsis temporibus duo exempla afferam inter Sudermanni fabellam, quam inscripsit, „Frau Sorge“ et Frensseni „Jörn Uhl“ permagna est similitudo. De similitudine autem inter Pauli Lindau fabulam, quae inscribitur, „Maria und Magdalena“ et Sudermanni fabulam, cui titulum esse voluit „Heimat“, Sigismundus Friedmannus[4]), vir huius rei peritissimus, primo obtutu perfacile quempiam dicere posse putat alterum poetam ex altero pendere. Iam vides quam caute in his rebus iudicandum sit. Ac si praeterea reputamus, quo tempore Demophilus vixerit neminem scire, nisi quae maioris momenti sint argumenta afferantur, Leonis coniecturam qua Asinariae I. 2. 3. ad similitudinem Truculenti compositas esse proponit nostram facere dubitamus.

Quod ad Pseudolum spectat, Leo tertia et quarta scena secundi actus Asinariae Demophilum Pseudoli exemplar Atticum imitatum esse contendit. Sed cum duos locos inter se compararem, non ita magna similitudo illa mihi videbatur esse.

---

1) Cf. meretr. dial. 12, 1.

2) Ibid. 6, 3.

3) Quamquam cavendum est, ne similitudini nimium tribuamus, cum qua ex fabula quempiam dialogum pendere vix dici posse notissimum sit. Cf. etiam Helm, Lucian und Menipp, Lips. 1907, p. 176: „es läßt sich kein einziges Gespräch mit Sicherheit auf ein bestimmtes Stück zurückführen“.

4) Cf. „das deutsche Drama des 19. Jahrh.“ Lips. 1903, p. 348.

Nam praeterquam quod Pseudolus sicut Libanus peregre advenientem commovere studet, ut quam pecuniam secum ferat sibi tradat, longe aliter in utraque fabula res aguntur. In Asinaria enim dolo, quem servus callidus invenit, usi Libanus et Leonida amanti erili filio pecuniam comparant: in Pseudolo autem statim, cum Harpax illa fraude decipi non possit, aliud consilium, quo leno decipiatur, excogitatur. Praeterea ad eum qui in Asinaria describitur rerum statum servi fraus optime convenit, in Pseudolo autem fere nullius momenti est. Maxime autem, ut de Leonis coniectura valde dubitarem, me impulit haec consideratio: mea enim sententia si quis poeta ex nescio cuius poetae fabula sumit, quae fabulae suae inserere vult, eum quae singulariter et optime excogitata videntur esse electurum consentaneum est. Sed quis dicat Pseudoli fraudem ingeniosam esse! Neque enim ita magno ingenio opus esse mihi quidem videtur ad defraudandum advenientem, qui nullum hominem novit, ea fraude, ut se illum cui argentum tradendum sit esse dicat. Idque ipse Plautus indicare videtur, cum Pseudolum ita dicentem faciat:

Novo consilio nunc mihi opus est: nova res haec subito
mi obiectast. .
Hoc praevortar principio: illa omnia missa habeo quae
ante agere occepi.

Neque aliter de similitudine inter Asinariam et Menaechmos iudicandum est, cum in Asinaria de palla nisi ut ostendatur quem ad modum Demaenetus amore sit captus sermo sit, in Menaechmis autem quod Menaechmus uxoris pallam surripuit ad fabulae tenorem multo maioris momenti est. Quam nullius vel minimi haec quidem res sit ponderis, perfacile cognosces, si horum temporum comoedias inter se comparaveris. Velut centies invenies per epistolam casu amissam omnem rem palam fieri. Sed quis hoc ex argumento poetas sese imitatos esse concludat? Neque etiam in ea re magna similitudo est, quod uxori flagitia coniugis denuntiantur. Nam imprimis illud reputandum est, cum temporibus novae ut aiunt comoediae tot[1]) fabulae quae saepe simile

1) A Menandro, Philemone, Diphilo trecentas fere comoedias compositas esse traditur.

haberent argumentum — scilicet omnes fere consuetudinem adulescentium meretricumque describebant — darentur, perfacile fieri potuisse, ut fabulae interdum aliquam inter se haberent similitudinem, etiamsi poetae nullo modo alter ex altero penderent.

Quod cum ita sit, ex eis quae adhuc nobis nota sunt conici posse Asinariam in similitudinem exemplarium Truculenti, Pseudoli, Menaechmorum compositam esse, negandum esse existimo.

VITA.

Natus sum Paulus Henricus Guilelmus Fridericus Ahrens Kal. Ian. anni MDCCCLXXXIV Sigeduni (Siegen), in amoenissimo Guestphaliae oppidulo, patre Friderico matre Henrietta e gente Ipach, quos ambos superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in ludo quem pater moderabatur per quinque annos scholae quae condita erat ad antiquitatis studia colenda in oppido Castrop discipulus fui. Dein quattuor per annos gymnasium evangelicum urbis Tremoniae (Dortmund) frequentavi. Vere anni MDCCCCIII maturitatis testimonium adeptus Marpurgum Chattorum me contuli, ut studiis maxime philologicis me darem. Ibi sex mensis versatus Berolinum migravi, ubi per anni spatium eisdem studiis navavi operam. Deinde, ut studia mea ad finem perducerem, Ienensem litterarum sedem adii.

Docuerunt me hi viri doctissimi Marpurgi: de Drach, Elster, Jülicher, Maass, Natorp, de Sybel, Thiele, Tuczeck; Berolini: Diels, Friedländer, Helm, Imelmann, Kekulé de Stradonitz, Kirchhoff, Lasson, R. M. Meyer, Münch, Roethe, Ericus Schmidt, M. Schmidt, Schollmeyer, Schmoller, Thomas, Vahlen, Wagner, U. de Wilamowitz-Möllendorff; Ienae: Delbrück, Dinger, Eucken, Gelzer (†), Goetz, Hirzel, Liebmann, Lietzmann, Michels, Wilhelm.

Proseminarii philologici sodalis fui *Marpurgi* et *Berolini*, seminarii Ienensis moderantibus Goetz, Hirzel, Gelzer (†) per duos annos; per sex menses subsenioris munere functus sum. Ad exercitationes germanisticas Berolini Roethe, Ienae Michels benigne mihi aditum praebuerunt. Denique exercitationibus archaeologicis, quas instituerunt de Sybel, Kekulé, metricis quas moderatus est Goetz interfui.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas, praecipue autem pio gratoque animo semper colam cum Vahlenum Hirzeliumque tum Georgium Goetz, cuius ut in aliis rebus ita hoc in opusculo perficiendo egregium consilium atque benevolentiam expertus sum.